

Q.K.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-191560-p0002-3

DFG


Q.K.238, 34

ПРОПЕМПТИКОН.

HONESTO ET DO-
CTO IVVENI D. VALENTINO
CHÆRE CALEGIENSI, VVITEBERGA
AD SCHOLASTICVM MVNVS
MAGDEBURGVM INITIO
ANNI M. D. LXVIL
AVOCATO,

Za
5152

Scriptum à
M. GEORGIO ROLLENHAGIO
BERNAVENSE.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
M. D. LXVII.

Contra rāmū sīs Hinrīch
werder dē Valēt. Chēz.

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

Vltima fatidici venit iam carminis ætas,
Quæ mundi secum ingentem est tractura ruinam.
Iam quorum constans meminit sententia Christi
Est manifesta fides: Plena omnia ubiqꝫ malorum:
Horror ubiqꝫ animos tristi formidine turbat:
Nec certum est quem det finem fortuna laborum.

Aspice crudeles Turcas precor: aspice gentes
Tartareas, Furijs stygiaqꝫ palude creatas,
Qua feritate ruant, quæ sit violentia bello.

Mens immota manet nostri penetralia Christi
Vasta dare, & membris nostris & sanguine diram
Explere ingluuiem, flammisqꝫ inuoluere muros.

Iamqꝫ adeò primis statuunt spectacula cœptis
Horrenda, & quondam Siculis inuisa Tyrannis.
Obstantes contra summa nituntur opum vi:
Imbellis, qualis deserta miserrima turba est,
Sexus fæminei, infantum, iuuenumqꝫ senumqꝫ
Mille modis lacerant: malis absumere mammas
Virgineas visæ, tepidumqꝫ haurire cruentem.
Corpora quin etiam verubus lactentia figunt
Infantum, & cogunt assanda inuertere ad ignem
(Tormenti genus) & miseris ea mandere matres.

Nobis maiorum virtus & fortia facta,
Ventosa in lingua, pedibusqꝫ fugacibus hærent.

Nec

Nec nos hostis atrox, nec capti vulnus amici,
Nec nostris eadem nubes metuenda carinis,
Excitat, ut notæ redeant in pristina vires,
Quæ vitam pulcra pro libertate pacisci
Sustineant, magnumq; ferant per sæcula nomen.
Vsq; adeò nunc laudis amor, nunc gloria cessit
Pulsa metu, & tenues fortuna recessit in auras.

Nec satis: extremos Pietas aufugit ad Indos,
Atq; preces & vota iacent: sibi somnia quisq;
Fingit, & est sua cuiq; Deus malefuda cupido.

Ac veluti tecto in magno cùm fortè coorta est
Flamma furens, quæ summa domus fastigia lambit,
Involuitq; aditus fumo, miseroq; tumultu,
Nec super infusos imbræ, nec carmina curat.
Iamq; ruunt tabulata simul cum turribus altis,
Complexuq; premunt ingentes farris aceruos,
Arte laboratas vestes, aurumq;, hominesq;.
Tum seruus dominum absentem fidissimus vnus
Sollicitè querit: Molli quem deniq; lecto
Multo membra mero victum, pinguemq; ferinam
Ructantem, & toto proflantem pectore somnum,
Inuenit: atq; quatit: rapido super adjicit ore:
O here surge, fuge, & præsenti te eripe letho,
Ignis adest, ignis: ruit alto à culmine tectum,
Dum loquor hic etiam paries tibi proximus arde.
Hoc ait, & celer in verbo vestigia torquet.

A ij Illius

Illiū stolidam tetra fuligine mentem
Implicitat ebrietas, sensusq; auertit inertes.
Ergo assurgentī similis, similisq; loquenti,
Vix sedet, & turpi mordet sua murmura roncho.
Dumq; parat mersos oculos in nocte profunda
Ne quicquam referare, iterumq; iterumq; relabens
Infelix caput arsurum reclinat in ostrum.

Haud aliter, postquam properant incendia belli
Scintillas agere, & latè differre fauillam,
Nec vetus assumtis porrò spes restat in armis,
Sed nostris propior ceruicibus imminet hostis,
Et quas non habuit vires acquirit eundo:
Instant ardentes proceres, verbiq; ministri
Securos animos, atq; impia pectora vulgi
Conterrere metu, reliquos mærore stupentes
Solari, precibusq; minas non segniter addunt.
Ut pensare velint, hæc tanta pericula ferri
Vi supera, læsæ memorem Deitatis obiram,
Ni faciant scelerum finem, & grauiora minantem
Supplicibus superent votis, veniamq; precentur,
Iam flammæ, cunctos inimicus & hauserit ensis.
Ast illi densa viciorum mole sepulti,
Aut nihil audito prorsus sermone mouentur,
Aut vitæ & victus curis vigilantibus, ægrum
Extricare animum nequeunt, rursusq; labascunt
In vetitum, facta & vota imperfecta relinquunt.

Quod

Quod si forte velit producere longius iras
Et punire Deus quantum impietate meremur,
Vi solida vt vadant, duri quo Teutonis ora
Iusticiam, verumq; Dei cum lacte timorem
Imbibit, & studijs animos emollit honestis.
Quæ scelera & cædes & quæ caligo sequetur?
Quæ spes libertatis erit, quæ viuere cura?

Tum vadet scissa plorans Ecclesia palla,
Externo scelere & proprio fœdata cruento.
Tum reuerenda Fides & sancti iura Pudoris
Astra petent, duplicesq; Deo tendentia palmas,
Multæ super nostro super hostis crimine multa
Narrabunt iras acuent, pœnasq; reposcent.
Et Deus ipse hostis, peregrinaq; turba latronum,
Et regum & turpis nostri discordia vulgi
In miseræs irarum omnes effundet habens.

Saxis & truncis & duro robore natum,
Et reor Hyrcana lactatum Tigride: quem nil
Hæc mala tanta mouent, patriæ & morientis imago.

Felix ante alios felix diuine Melanchthon,
Qui placida in Domino compostus pace quiescis,
Nec tam terribiles cernis superare furores.
Fortunatus & is quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies in vitæ limine primo
Ex cunis, quo torturas non perferat ullas,
Nec tepidis fixus pilis sudibusue præustis,

A ij Sin-

Singultantem animam strata inter flammæ fundat,
Et tosto pastam suffocet viscera matrem.

Si ^{luz} Scilicet & vas est optando rumpere fata,
Ne mihi tam longè maneat pars ultima vitæ,
Ut quantum restat videam experiarq; malorum.
Aut metus iste meus sit vanus & omnia vana
Quæ Daniel, & quæ Diues cecinere Iohannes.
Crimina nostra vetant & vindicis ira Iehouæ.

Præterea ne quid desit fortassè malorum,
Pestis & atra fames latè loca questibus implent.
Hæc sequitur vulgus miserum lucemq; perosum,
Et mutare malum vel quavis morte paratum:
Illa indignantes vrgenti incumbere fato
Sublimes, humilesq; simul discrimine nullo
Cogit, & ante diem crudeli funere mersat.
Nulla mali requies, nec spes datur illa salutis.

Magne pater magnos qui das adimisq; dolores,
Adsis o tandem & proprius res aspice nostras.
Quam sumus heu miseri pœnis damus usq; superq;
Quam satis est: iustas iras nunc pone minasq;
Nunc antiqua tuam subeat miseratio mentem
Qua Gnatum mundo donas: Miserere laborum
Tantorum, meritamq; malis auerte ruinam
Templi, aræq; tuæ, & vitæ nos redde priori.

Gogq; Magog, rabidosq; canes trans Tartara natos,
Quos contra Christum & contra Dæmon acerbat,

Ipse



(Ipse sui generisq; hominum communis Erinnys)

In tua quo vertant sceleratas numina dextras,
Et sacra blasphemis onerent mandata cachinnis,
Pro nobis demitte neci: Sceleriq; luendo
Arma luemq; famemq; illis & fulmina mitte.
His dudum meret impietas & flagitium ingens
Ilorum, & tristis monumenta immania belli.

Tum gentes nostri metuent quoq; nōmina Christi,
Quem dare præcipitem magno conantur Olympo,
Et diris sacros discerpere morsibus artus.
Nos verò tua turba tuum nomenq; decusq;
Dicemus porrò, serosq; feremus ad annos.

Hanc ego sollicito curam sub corde premebam
Solabarg; animum spe finis dura ferentem:
Cùm præter solitum lætus, vultuq; serenus
Chære Valentini iucundo nomine gaudens
Aduenit, atq; vltrò verbis compellat amicis
Marentem, & curas his tentat demere dictis.

O mihi dilectos inter fors prima Georgi
Infirmum quæso quid pectus inaniter angis,
Lætitiaq; breuis defraudas tempora vitæ?
Sat lacrymis luctuq; datum: nunc linque severa
Et cognosce meæ præsentia gaudia mentis.
Dicam, nec longa suspensum ambage tenebo.

Inueni tandem requiem, finemq; laborum,
In qua nunc libris sacris, nunc voce docentū

A iiiij Et

*Et dulci nunc colloquio præsentis amici,
Ducam sollicitæ iucunda obliuia vitæ.
Os tenerum pueri monitis dum formo benignis,
Et sophiæ cana medicor pietate sementem:
Sanctior ut fætus populis fallacibus extet,
Qui Christum, moresq; bonos, Musasq; sequatur.
Numine præsenti Deus hæc modò cœpta secundet
Auxiliumq; suum: cui gratia prima feratur.
Proxima te Siegfride manet. Tua cura resistit,
Incultus patrijs alias nutrirer in agris
Rusticus, & curuo cantarem innixus aratro.
Degener ut fatuis spargit labrusca racemis
Neglectas vites, & amaris degrauat vuis.
Vix degustâram primis Elementa labellis
In ripa Salæ, qua nudus pectora Saxo
Suggestat flamas costis vndantis aheni,
Et salis in grumos latices desiccat aquarum.
Et me Parthenopen venientem excepit, amavit,
Instituit, iuuit magno conamine Sacus
Consilio illius progressus ad usq; Borussos,
Monte super regis Phœbi vestigia lustro.
Inde donum Domino cursum moderante reuersus
Leucore& reliquum vixi: doctisq; bonisq;
Immixtus memori comprehendi plurima mente,
Quæ quondam Hercinio Cygno meditante beata
Audiuit PHILoMELA, eademq; ediscere iussit
Quas*

Quas Albis pascit sinuoso littore quercus.

Hinc adeò nunc me reuocat Siegfridus, & vltro
Promouet, atq; audentem opera ad maiora remittit,
Queis alternanti currat requiesq; laborq;
Atq; suum vicibus pulcris ita compleat orbem.

Ergò age dona aliquid successibus optime nostris,
Pone modum curis, noua gaudia fronte serena,
Et me digressu latus comitare supremo.

Dixerat: Illius paucis sum dicta secutus.

Quanquam animum dolor altus habet carissime Chære,
Nec fas sponte mea tantas me ponere curas:
Attamen ex animo grator tibi mollia vitæ
Fata tuæ, Dominus tibi clementissimus adsit,
Et faciat te moliri præstantibus ausis,
Quæ sunt grata Deo generi q; salubria nostro,
Ut simul & populo simul illo utaris amico,
Donec temporibus geminis aspersa senectus
Caneat, atq; animi factus maturus, & annis
Sis grauis, & dulci componas lumina morte
In Christo: quæ facta salus morientibus vna.

Siegfridus Sacus Rector doctorq; iuuentæ
Quam schola Parthenopes multam celeberrima nutrit,
Luce magis mihi dilectus, mihi cognitus usu,
Exhibit egregium Musis quem debet honorem:
Discipulosq; suos patrio amplexatur amore.

Ac veluti cultor fragrantis rusticus horti

A v Ponit

Ponit odoratas vario discrimine plantas,
Et rigat & dulces sperat decerpere fructus:
Hic rosa blanditur suavi spectanda rubore,
Et nardi, & violæ gratissima purpura nigræ:
Hic thymus, & roris non auia cura marini,
Et flos Narcissi pulcerrimus. Ille colores
Hinc atq[ue] hinc circumspiciens notat ordine longo,
Quos templis, & quos domui, capitiue reponat.
Et tacitum interea pertentant gaudia pectus.

Sic quos ad studium atq[ue] usus informat honestos
Iam teneros ille hortatur. Iam mente sagaci
Explorat, quæ signa ferant, quisq[ue] impetus ad sit:
Quis decori queat esse foro, quisq[ue] utilis aris,
Quis cupiat medicas rerum cognoscere vires.
Nec minus interea properatq[ue] instatq[ue] fauori
Numinis, & iuuenum successus gnauiter urget.
Quæ fidum mira pectus dulcedine tangunt.

Hinc ad Leucoreæ quosdam demittit alumnos,
Magnanimi q[ue] iubet, rimari scripta Lutheri,
Et præceptoris noti super astra Philippi,
Qui gratam Domini famam dispersit in artes.
At postquam optatam cursu contingere metam
Contigit, ut quidam subigant sine cortice fluctus:
Tum demum officijs, si quæ est oblatæ facultas
Præficit ipse suos, rerumq[ue] adiungit habenis.
Nos exempla sumus, pluresq[ue] oracula verbi

Magna

Magna Dei, templisq; scholis magno ore sonantes.

*Ante igitur caput hoc crudelibus occubat vmbriis,
Quam meritum illius labatur pectore nostro,
Quam nolim illius DOMINO inculcare salutem.*

*Vnum autem te Chære rogo, præq; omnibus vnum
Admoneo: Præceptores, Dominos & Amicos
Nostros, & nostris verbis saluere iubeto.*

*Siegfridum ante alios, & notum carmine Gallum,
Gallum qui argutos vocat in certamina Gallos.*

*Et quos præterea? cuius dum vita manebat
Patris, sunt Musæ hospitio vse & Gratia triplex.*

*Casparemq; meum, qui tuta silentia vitæ,
Atq; potestates herbarum vsumq; medendi
Suspicit: & mutas interdum defidet artes,
Cantillat blandis vigilata poëmata Musis.*

*Tranquillum immatura nimis Mors, prô dolor, vrbē
Abstulit & terris, sublimemq; intulit astris.*

Molliter ossa cubent: gremio Mens viuat Abrahæ.

*Quod supereft, laeto nunc gratificabor amico,
Te laetus deducam, & quo via ducit in urbem
Si nequeo pedibus, precibus comitabor euntem:
Vt Deus ipse comes tutum te limine fist at
Optato, & dulces volucri tegat agmine nidos.*

*Nos quod iam tenero studium meditamur ab vngui
Leucore & cultum dabimus, modò vita supersit.
Hic mihi M A I O R adest, magnam cui mente animumq;*

Spiri-

Spiritus infundit sanctus, fingebat poëtam,
Ausit qui Latios cantando eludere fastus,
Et contra inquietum moliri bella Maronem.
Hic mihi, spes patriæ, Papæ formido, dolisq;
Irremeabilibus Thesei mittendus in armis,
Indigetis C R V C I G E R repetit monumenta Philippi.
Hic & Cygnæos cantus modulatur E B E R V S,
Et senior M A I O R: Quam fractus vterq; senecta
Et curis, patriæ portum cœlestis anhelat?
Dispeream si non vita iucundius ipsa,
Sit mihi tantorum voces audire virorum.

Hic igitur tu redde vicem, cane vota Tonanti,
Ne longo incolumis nequeam superesse labori.
Donec & his aliquam studijs per bella luemq;
Fata viam inueniant, adgitq; vocatus Iesus.
Iamq; vale, cariq; v A L E N S memor esto Georgi.

N V M E R V S A N N I .

Si nescis mihi quando v A L E N S valedixerit, illud
Indicat infausto nomine D I L V V I V M .

Ha 5152 QC

M.G.

Pon Za 5152, Ak



f





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-191560-p0018-3

DFG

Farbkarte #13



ΕΠΟΝΕΜΠΤΙΚΟΝ.
ESTO ET DO
VENI D. VALENTINO
ALEGIENSI, VVITEBERGA
CHOLASTICVM MVNVS
GDEBVRGV M INITIO
ANNI M. D. LXVIL
AVOCATO,

Scriptum à
ORGIO ROLLENHAGIO
BERNAVIENSE.



VITEBERGÆ
DEBAT IOHANNES
CRATO.
M. D. LXVII.

Conseruamus sine finiviro
vnde de valet: chev.